



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Sententia damnationis à delegatis prolata, mittenda est in executionem, nisi is qui damnatus est appellaverit. In causis Episcoporum Gallicanorum dare tenetur Pontifex novos iudices ad iudicandam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

causa Lucilli Episcopi cognoscerent, eumque deponerent. Præterea decretalis Zephyrini epistola, quæ extat apud Gratianum, quo jure nunc utimur, non exigit absolute numerum duodecim Episcoporum, sed tantum si ea causa incidat ut totidem Episcopos haberi necesse sit: *Duodecim judices quilibet accusatus Episcopus, si necesse fuerit, eligat; à quibus ejus causa judicetur.*

I. I. Secunda regula hæc esse potest, Summum Pontificem conservare suam auctoritatem, quoad depositionem Episcoporum, cum eorum judicium delegat, ac si eos ipse judicaret & deponeret. Rescriptum enim Gratiani, cujus supra mentionem fecimus, verbis minime ambiguis ait Episcopum Metropolitanum, si in longinquis regionibus commoretur, exsolvi à necessitate accedendi ad sedem apostolicam, sed daturum ei Episcopum Romanum judices, quos Romanus Episcopus judices dederit. Concilium autem Sardicense nihil aliud postulat quam ut Episcopus Romanus det judices, Episcopos nimirum ex provincia finitima, unâ cum primis judicibus, ad judicandam causam appellationis. Bonifacius verò, Leo, & Gregorius magnus, alique Romani Pontifices existimantur satis suæ auctoritatis conservationi provisum si Episcopis provincialibus jurisdictionem suam delegarent, aut Legatis apostolicæ sedis, ad decernendam definitivo judicio Episcoporum depositionem. Quinetiam cum suo illi arbitrio reservarunt potestatem judicandi appellationem in urbe Roma, aut eam curam delegandi in provinciis, abundè auctoritati sedis apostolicæ satisfactum putarunt. Gregorius enim septimus, qui Pontificum Romanorum auctoritatem immensum explicavit, frequenter Legatos misit in provincias ad deponendos Episcopos, jurisdictione sua in eam rem delegata. Ne verò inharere tantum videamur antiquo juri & mediæ ætatis, habemus ex novo jure, quod Gratiani Decreto continetur, voluisse Romanos Pontifices sui arbitrij esse an Episcopi judicandi essent in synodo Romana, aut per Legatos sedis apostolicæ, aut per se, aut per Vicarios suos, ut ait Papa Sixtus in cap. *Accusatus*. 3. q. 6.

III. Huic autem regulæ opponi non potest decretum Concilij Tridentini, quod, introducto jure novo, in universum synodis provincialibus ademit instructionem criminum Episcoporum quæ poenam depositionis merentur, eamque tribuit iis viris quos Papa delegaverit; servata Summo Pontifici definitiva sententia. Decretum in-

quam illud opponi non potest. Præterquam quòd enim Concilium illud non est receptum in Gallia, contrarium ex eo capite est Concordatis, quibus neque sedes apostolica neque Concilia derogare possunt absque consensu Regis.

IV. Postquam autem delegati sententiam damnationis protulerint, tum in executionem mittenda est depositio, nisi is qui damnatus est appellaverit. Ea enim vis est sententiarum à competenti judice latorum, ut executoria sint, nisi earum effectus suspendatur per appellationem. Ita enim usurpatum supra vidimus à Legatis pontificiis, quod etiam satis innunt Concordata his verbis: *si ab illis appellari contigerit*. Nam is qui dejectus est, provocare quidem potest; quemadmodum appellabatur à Legatis. Verùm quemadmodum olim Summi Pontifices cognitionem appellationis in provinciam remittebant ad Legatos suos, si ita faciendum esse existimarent, (quod usurpatum vidimus à Gregorio septimo in causa Lamberti Episcopi Morinensis) sic Concordata eam Summo Pontifici necessitatem imponunt ut eo agendi modo utatur in causis Episcoporum Gallicanorum, datis videlicet novis judicibus ad judicandam appellationem.

V. Quòd si Summus Pontifex pervaciter in futurum contenderet mitti debere acta, id est, *Processum*, ut hodie vocant, ad apostolicam sedem, etiam si damnatus eam non appellaverit, antequam Bullas ei concedat quem Princeps nominaret in loco depositi, tum, si de crimine majestatis ageretur, reponi posset postulationem illam non esse æquam, quòd evulganda non sint imperij arcana, quæ nullis communicanda sunt quam iis qui jurejurando fidem suam Regi obligaverunt. In primis verò ea noscere non debere alienigenas & externos, ut sunt Cardinales & alij Consiliarij Papæ Romani, qui arcana hæc vertere possent in perniciem regni. Quamobrem veteres Episcopi, qui tempore Imperatorum Romanorum nondum res publicas attingebant, id est, nondum erant Consiliarij Principum, (quæ dignitas ei ordini primùm communicata est à Regibus nostris) veteres inquam Pontifices antiquitus cognoscere recusabant de crimine majestatis. Hæc enim sunt omnino verba eorum in synodo congregata adversus Chrysostomum: *Continent & libelli lese majestatis crimen. Tibeat nunc pietas vestra expelli vel invitum daturum tanti criminis penas. Nobis enim non licet ista inquirere.*

VI. Addi potest, ex eo agendi modo